



## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

Bipartitus, In Quo L. Vetera Monumenta, Nunquam Visa, Pauculis Exceptis -  
Quorum Catalogum versa pagina indicat

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1604**

20. Cogitosus de S. Brigida virgine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64177)

## COGITOSVS

De

S. BRIGIDA

VIRGINE

SCOTA


QVÆ

Sub Iustino seniore Imp.

Anno 521.

OBIIT.

*Nunc primum editus ex membranis m. s. monasterij Ordinis Prædicatorum Aichstadij.*



MAR.



# MARTYROLOGIUM ROM. I. FEBRVARII.

**B**N Scotia sancta Brigide virginis, quae cum lignum altaris in-  
tigisset, in testimonium virginitatis suae, statim viride factum  
est.

Vbi Baronius hæc notat:

De eadem item Beda, Vhswardus & Ado, & alij. Habentur quædam  
eius Acta apud Sur. tom. 1. Verum longè prolixior a legi in vet. cod. in f. mo-  
nasterij S. Cecilie trans Tiberim, viginti quatuor distincta capitulis, scri-  
pta à quodam nomine Cogitoso. Incipit: Mecogitii fratres &c. Hæc de  
eadem in fine versus quosdam. De tempore obitus eius Marianus Scotus  
scribit in chron. clausisse diem extremum anno tertio Iustini senioris impe-  
ratoris: Est is annus à Christo, secundum Fastos Onuphrij 521. Sigbertus  
autem in chron. diem obiisse scribit anno Domini 518. Hæc Baronius,  
qui cum Acta S. Brigide à Cogitoso conscripta laudet, eaq; hæc hactenus  
lucem non viderunt, volui illa in publicum proferre. Praclaramen-  
to S. Brigide est apud Baron. tom. 7. anno 521. num. 21.

De S. Brigida multa habet Silvester Giraldus Cambrensis in  
topographia Hiberniæ distinctio 2. cap. 34. 35. 36. 37. 38. 39. & dist. 3.  
cap. 16. 17. 18. &c.

Auctor in fine his verbis suum nomen ponit: Orate pro me Co-  
gitoso nepote culpabili. Quare autem se nepotem vocat? an nepos S.  
Brigide? an hic nepos alio sensu? Certe auctor perantiquus est. Et  
illud antiquissimū Scotiæ templum describens, insinuat se non lon-  
gè à temporibus quibus ædificatum est abfuisse. Hæc item fidem &  
ætatem eius non obscure innuunt. In prologo ait: Pauca de pluribus,  
à maioribus & peritissimis tradita, sine ulla ambiguitatis caligine, ne inob-  
dientiæ crimen incurram, patefacere censeo.

Item ait: vsq; ad præsens tempus viride, &c. & vsq; hodie languores  
& morbos de hominibus expellit. De miraculis S. Brigide non longe à  
fine hæc: Quas nos virtutes non solum audimus, sed eti-  
am oculis nostris vidimus.

INCL



## INCIPIT PRO- LOGVS.

**O**gitis me, fratres, vt sanctæ, & beatæ memoriæ BARGIDÆ virginis virtutes & opera, more doctorum, memoriæ litterisq; tradere aggrediar. Quod opus impostum, & delicatæ materiæ arduum, paruitatis & ignorantia meæ & linguæ minimè conuenit. Sed potens est Deus de minimis magna facere; vt de exiguo oleo & farina pugillo domum <sup>3. Reg. 17.</sup> impleuit pauperulæ viduæ. <sup>4. Reg. 4.</sup>

Itaq; iussionibus vestris coactus, satis habeo, meam non defuisse obedientiam, & ideo pauca de pluribus, à maioribus & peritissimis tradita, sine vlla ambiguitatis caligine, ne inobedientiæ crimen incurram, patefacere censeo. Ex quibus quanta qualisq; virgo virtutum bonarum florida, cunctorum oculis innotescat. Non quod memoria, & mediocritas & rusticus sermo ingenioli mei tanti muneris officium explicare valeret; sed fidei vestræ beatitudo, & orationum vestrarum diuturnitas meretur accipere, quod non valet ingenium dictantis.

Hæc ergo egregiis crescens virtutibus; & per famam bonarum rerum ad eam de omnibus prouinciis HYBERNIÆ innumerabiles populi de vtroq; sexu confluentes, vota sibi vouentes; voluntariè suum MONASTERIUM caput penè omnium HYBERNIENSIVM Ecclesiarum, & culmen præcellens omnia MONASTERIA SCOTTORVM cuius parochia per totam HYBERNENSEM terram diffusa, à mari vsque ad mare extensa est, in campesribus cæpi LIFFI supra fundamentum fidei firmum confluxit, & prudenti dispensatione de animabus eorum regulariter in omnibus procurans, & de Ecclesiis multarum prouinciarum sibi ad hærentibus sollicitans, & secum reuolucns, quod sine summo sacerdote, qui Ecclesias consecrat, & Ec-

Kkk

clesia-

clericali in eis gradus subrogaret, esse non posset; Illustrem virum & solitarium, omnibus moribus ornatum, per quem DEVS virtutes operatus est plurimas, conuocans eum de heremo, & de sua vita solitaria, & ibi sibi obuiam pergens, vt Ecclesiam in Episcopatu dignitate cum ea gubernaret, atq; vt nihil de ordine sacerdotali in suis deesset Ecclesiis, accersuit.

Et postea sic vinctum caput & principale omnium Episcoporum & beatissima puellarum principalis, felici comitatu inter se gubernaculis omnium virtutum suam erexit principalem Ecclesiam, & amborum meritis sua Kathedra Episcopalis & puellaris, ac vitis frugifera diffusa vndiq; ramis crescentibus, in tota HYBERNENSIS insula inoleuit.

Quam semper ARCHIEPISCOPVS HYBERNIENSIVM EPISCOPORVM & ABBATISSA SCOTTORVM venerantur, felici successione & ritu perpetuo dominantur. Exinde ergo, vt supra dixi, à fratribus coactus, beatæ huius virginis BRIGIDÆ virtutes tam eas, quas antè principatum, quam alias, quas in principatu gessit, multo studio breuitatis, licet præpostero ordine virtutum compendiosè explicare conabor.

*Incipit vita S. Brigide.*

**S**ANCTA itaque BRIGIDA, quam DEVS præsciuit ad suam imaginem, & prædestinavit, à christianis, nobilioribusque parentibus, de bona ac prudentissima ETECH profapia in SCOTIA orta, patre DVBTCHO, & matre BROCCA genita; à sua puericia bonarum rerum studiis inoleuit. Electa enim ex DEO puella moribus sobria, ætatis ac pudicitie plena, in meliora semper cre-  
scebat.

Et quis sua opera, quæ etiam in hac ætate gessit, plenè potest enarrare? sed hæc pauca de innumerabilibus exempli causa posita demonstrabimus.

Exinde hæc, cum tempus maturum aduenit, in opus coaguli, vt de turbato vaccarum lacte butyrum aggregaret, à matre transmissa est; vt sicut alie femine hoc opus exercere solebant, ipsa quoque æquali munere perageret; vt cum ceteris in tempore placido vaccarum fructum ac pondus, mensuratumque butyri solitum plenissimè in usum redderet. sed hæc moribus pulcherrima & ho-  
spita-

*a. Suv. qui vitam S. Brigide paraphrasice dedit, patre Duplacum, matrem Brossech vocat.*

spitalis virgo, obaudire magis volens DEO, quam hominibus, pauperibus & hospitibus lac largitur, & butyrum distribuit. Et cum secundum opportunum aduenit tempus, vt omnes redderent fructum vacarum, ad eam peruentum est. Sed cum cooperatrices eius monstrabant sua opera completa, quaesitum est à beata supradicta virgine, vt & ipsa similiter assignaret suum opus. Et ipsa matris timore pauida, cum non haberet, quod monstraret; quia totum pauperibus erogauit; crastinum non procurans tempus, & inextinguibili flamma fidei accensa, ac firma, ad Dominum se conuertens orauit. Nec mora, Dominus vocem virginis audientibus, largitate diuini Numinis, sicut est adiutor in oportunitatibus, affuit, & pro sua in se virginis confidentia affluenter butyrum constituit. Mirum in modum & illa hora post orationem Virgo sanctissima, nihil de suo opere deesse ostendens; sed super omnes cooperatrices abundasse monstrauit complexisse suum officium. & cum plenissime inuentum in oculis omnium tanti muneris miraculum innotuit, & laudantes Dominum, qui hoc fecit, tantam fidei virtutem virginali pectore constituisse admirati sunt.

Ac non multò post, cum eam sui parentes, more humano, viro despondere vellent, illa cœlitus inspirata, se virginem castam exhibere volens DEO, ad EPISCOPVM sanctissimū beatæ memoriæ MACCÆ perrexit.

*b. ap. Suri vocatur*  
 Machillus S. Patritii discipulus. Fuerant autē contemporanei Patricio (inquit Syluester Giraldus Cambrensis in topographia Hiberniæ, distinctione 3. cap. 18. cui capiti hunc titulum præfigit. Quod tria corpora, Patritii scilicet, Columbe, & Brigide, apud Vltioniam in Dunensi ciuitate his nostris diebus inuenta sunt & translata) sanctus Columba, & S. Brigida, & apud Vltioniam, in eadem ciuitate, Dunensi scilicet, quo Dominus Comes Ioannes primo in Hiberniam venit, quasi in spelunca triplici, Patritio in medio iacente, aliis duobus hinc inde, Ioanne vero de Curci tunc ibidem presidente, & hoc procurante tres nobiles thesauri diuina reuelatione inuenti sunt translati. Vnde versus: In burgo Duno, tumulo tumulantur in vno, Brigida, Patritius, atq; Columba pius. Hæc Giraldus qui ibidem cap. 17. hæc obiit autem B. Patritius & in Domino quiescit, anno etatis sue 120. ab incarnatione Domini 438, ab aduentu Hibernensium 1800 Vbi tamen in margine hæc varia lectio appositæ est: Anno etatis sue 123 incarnatione Domini 493. Pontificante Felice Papa 1. Imperante Anastasio, primipante in Britannia Aurelio Ambrosio in Hibernia autem Forkero.

Ibidem cap. 16 Patritius natione Britannus, vir vita & sanctitate conspicuus, & c. tota iam insula ad fidem Christi conuersa, apud Ardmacham sibi sedem elegit, quam etiam quædam metropolim constituit, & proprium totius Hiberniæ primariæ locum. Hæc Girald. Vbi in margine hæc: Anno quo S. Augustinus doctor mortuus est, scilicet 431. missus est Patritius in Hiberniam, venit vero ad 432. Sancta Brigida nata 439. Obiit Patritius 493. anno etatis sue 120. Hæc in quodam vetustulo libro Chremellie inueni. Hæc ibi in margine.

Qui cœleste intuens desiderium & pudicitiam, & tante castitatis  
amorem in tali virgine, pallium album & vestem candidam super  
ipsum venerabile caput imposuit. quæ coram Deo & Episcopio  
SCOPO ac ALTARI genua humiliter flectens, & suam virginitatem  
coram Domino Omnipotente offerens, fundamentum iustitiam  
um, quo altare fulciebatur, tetigit. Quod lignum in commemora-  
tione pristinae virtutis, usque ad præsens tempus viride, ac firma  
esset excisum, & decorticatum, sed in radicibus fixum vitæ  
ret; & usque hodie languores & morbos de hominibus expellit  
delibus.

Huius mi-  
raculi me-  
rito in Rom.  
Martyro-  
log. 1. Febr.

NB.

Nec prætereundum mihi videtur commemorare de illa virtute  
quam hæc famosissima famula dicitur ac diuino incessanter famu-  
latui tradita, operata est. Nam cum illa aliquando in calidum  
lardum aduenientibus hospitibus coxerat, canis adulant, ac fugi-  
tanti, misericorditer eam tradidit; & cum lardo de caldario tracto  
ac postea hospitibus esset diuisa, ac si non esset dempta, plenissi-  
mè reperta est. Et valde hi, qui hoc viderunt, ammirantes ve-  
rellam incomparabilem virtute fidei, merito bonarum virtutum, ali-  
gnis laudibus diuulgauerunt.

Et eadem messorum ac operarios conuocat in messem suam, &  
facta illa messorum conuentione, nebulosa, ac pluuialis dies illa accitit  
conuentionis. Et pluuis largiter ex nubibus effusa, per totam  
illam in circuitu provinciam, ac riuulis guttarum effluentia per con-  
ualles & rimas terrarum currentibus; sola messis sua arida sine plu-  
uiarum impedimento & perturbatione perlitit, & cum omnes mes-  
sores vndique ipsius regionis prohibiti pluuiali die sui; sine vlla um-  
bra caliginis pluuiz, illa die tota, ab ortu usque ad occasum, messorum  
DEI potentia opus exercebant.

Ecce inter ceteras virtutes ipsius hoc dignum admiratione vi-  
detur esse, & admirabile. Aduenientibus enim Episcopis, & cum  
ea hospitantibus, cum non haberet unde eos cibaret, adiuta Dei  
multiplici virtute solito more habundanter, vt sua poscebat necessitas,  
vacca vnâ tribus contra consuetudinem in vna die vicibus mul-  
sit. & quod solet de optimis tribus vaccis exprimi, ipsa mirabili cunctis  
de vna sua expressit vacca.

Ecce & hanc virtutem beatitudini vestre intimare censeo, in  
qua mens pura virginalis, & manus cooperatrix in vnum conue-  
nire apparent. Nam hæc cum suas ope pastorali pasceret oues in  
gam-

eampestri, loco heroso, largitate nimia pluuiarum profusa, humidis vestibus domum rediit. & cum umbra solaris per foramina domum intrinsecus intraret, illam umbram obtusa oculorum acie, arborena fuisse transuersam & fixam putans, ac desuper complutam vestem ponens tanquam in arbore grandi & firma in ipsa tenui solari umbra vestis pependit. Et cum ipsius domus habitatores vicini hoc ingenti miraculo fuissent percussi, hanc incomparabilem dignis laudibus extollebant.

Et hoc silentio opus non est praterendum. Cum enim hac S. BRIGIDA in agro iuxta gregem ouium pascendum cura pastoralis esset sollicita, aliquis nequam Adolecens callide subripiens, & ipsius largitatem in pauperibus conprobans, & mutato septem ab ea verucces in vna die detulit, & in secreto abscondit. Et cum grex ad vesperum adcaulam esset dirigendus ex more, duabus vel tribus vicibus diligentissimè adnumeratus, sine damno mirum in modum totº integro reperi-tus est numero. Et admirantes hi, qui conscij facti erant, virtutem Dei manifestè factam per virginem, septem quos absconderunt verucces, ad suum remiserunt gregem & ille gregis numerus nec plus nec minus, sed vt antè integer reperi-tus est.

\* His & aliis innumerabilibus virtutibus famosissima DEI famula in ore omnium non immeritò sed dignis laudibus excelsissima visca. *¶ Siluester Giraldu in topogra- phia Hibernie distinet. 2º cap. 36. hæc: Sunt es hic (intellige abud Kysdariam Lagenie quam gloria Brigida reddidit illustrem, vt inquit cap. 34.) campestris pulcherrima, que Brigide paucis vocantur: in que nullus atrum cuius est mittere, de quibus pro miraculo ducitur, quod licet proxima totius animalia solo tenui vesperi herbam corrolerint, mane facta, non minus herbesu. a apparebit. Tanquam de passu illu dictum fuerit: Et quantum longu car- puit armenta diebus, Exigua tantum gelidus ros nocte reponit.*

Mirabili quoque euentu ab hac venerabili BRIGIDA leprosi CERVISIAM petentes; cum non haberet illa, videns aquam ad balnea paratam, cum virtute fidei benedicens, in optimam conuertit CERVISIAM, & abundanter sitientibus exhausit. Ille enim, qui in CHANA GALILÆÆ aquam conuertit in vinum, per huius quoque beatissimæ femine fidem aquam mutauit in ceruisiam.

.....  
Et secundum quod omnia possibilia sunt credentibus sine vlla possibilitate cotidie innumera miracula operabatur.

Quadam enim die, cum quidam sal petens veniret, sicut ceteri pauperes, & egeni & innumerabiles venire solebant, pro suis necessitatibus; ipsa beatissima BRIGIDA in illa hora sal factum de lapide, quem benec-

Kkkk 3

benedixit, in opus poscentis sufficienter largita est. & sic ab ea saluans latus propriam domum rediit.

Et hoc potentissimum opus diuinum eiusdem iungendum est mihi videtur inter cetera, quo Saluatoris instar imitatrix, diuinitatis excellentissimam operata est virtutem.

Nam secundum exemplum Domini & hæc oculos cæci nauiperuit. sua enim nomina & opera membris Dominus largitus est. quia de se ipso cum loqueretur: Ego sum lux Mundi; nihilominus sic dicit Apostolis: Vos estis lux Mundi, & eisdem dicens intulit: Opera quæ ego facio, ipsi facient, & maiora horum facient.

Inde quem naturalis partus cæcum protulit natum, fides eisdem Brigidæ grano operata sinapis, & consimilis eidem, oculos simplices & lucidos ingenti miraculo aperuit. Hæc itaque tantis virtutibus illustris humilitate cordis & puritate mentis morum temperantia, & spiritali gratia plena, tantam autoritatem & celebre nomen pauperibus coartancis virginibus habere meruit.

Et quadam die, cum vna ex adherentibus sibi extrinsecus femina, cum filia XII. annos ætatis ex naturali procreatione muta ad eam veniret visitandam, cum digna ueneratione, & reuerentia, vt omnes solebant, se inclinans & humili collo ad eius pacificum osculum procedens, ipsa omnibus affabilis BRIGIDA, & felix, conditis sale sermionibus diuino eam salubriter allocuta est, ac SALVATORIS nostri iubeatis exemplo paruulos ad se venire, filia manum retinens manu sua; nesciente illa quod esset muta, & voluntatem ipsius interrogans, vtrum velato capite permanere virgo, an nuptiis tradenda esse velle. matre ipsius admonente, quod sibi filia nulla daret responsa. respondens matri dixit. se non dimissuram filia manum, ni sibi prius responsum redderet. Et filiam cum secunda vice interrogaret, respondit filia sibi dicens: Non aliud, nisi quod tu volueris, volo agere. Ac sic postea aperto ore sine linguæ impedimento, & soluto ipsius vinculo loquebatur sana.

Et quibus hoc eiusdem opus nullis multorum auribus inauditum scrupulum non moueret?

Dum enim hæc animo esset intenta cælestium meditatione, vt semper solebat, suam de terrestribus ad cælestia eleuans conuersationem, quandam non paruam, sed grandem lardi partem cum canedimisit. Et cum esset inquisita, non alicubi, sed vbi canis in eo loco solebat esse, mense transacto, intacta & integra reperta est. Non enim canis

Ioan. 8.  
Matth. 5.  
Ioan. 14.

HONOR  
S. J. V.  
27

nis ausus comedere depositum Beate Virginis, sed custos patiens lardi & idoneus contra suum solitum morem diuina refrenatus virtute extitit.

Ad crescente quotidie miraculorum numero, quæ vix enumerari possunt, quantum misericordiæ & pietatis, & in pauperes elemosynarum oportune & inopportune postulantiu operata est. Nam cum aliquis indigens cibo pauperum eam rogaret, illa ad eos, qui carnes coxerant, vt ab illis aliquid pauperi deferret, festinauit, & illoru vnus stolidissimus famulus, qui carnes coxerat, insipienter partem nondum carnis coctam, in albatu ipsius sinuatę vestis receptaculu transtulit, & sic illa non suffocato mantili, & in suo candido colore manente portans pauperi tribuit. Nec non & hoc de gestis felicibus admirari debet. Confluentibus enim ad eam vndiq; pauperibus & peregrinis, ingenti fama virtutis, & nimie largitatis tracti; Accedens ad eam inter eos ingratus quidam leprosus, optimam de armento vaccam cum optimo vitulo omnium vitulorum instul sibi donari postebat. Nec ipsa eius audiens preces distulit, sed mox illam quam optimam & alius de omnibus vaccam, & alius vacca vitulum elegantem & optimu roganti infirmo voluntarie donauit; & misericorditer suum cum illo transmittens currum pariter longum & latissimu campum, ne molestia in vacca minanda infirmo longo fessu itinere sustentaret, vitulum post tergum eius in currum poni precipiebat. Et sic eum vacca lingua lambens, & tanquam proprium diligens, nemine eam cogente vsq; ad loca destinata consecuta est.

Charissimi videtis fratres, quod & bruta contra consuetudinem ei famulabantur animalia.

Quodam intervallo temporis alij nequissimi fures, qui nec Dominu nec homines verebantur de aliqua prouincia ob latrocinium venientes, per annum grandem facili meatu pedu egredientes, bouem ipsius furati sunt, sed eos eandem reuertentes viam impetus ingentis fluminis inundatione aquarum subito facta conturbauit. Non enim flumen instar muri erectum scelestissimam bouum fraudem beate BRIGIDAE per se transire permisit; sed eosdem fures demergens, & secum trahens; boues de ipsorum manibus liberati loris in cornibus pendentibus, ad proprium armentorum adbulum reuersi sunt. Ecce & hic virtus diuina apparet.

Cum quadam die ipsa sanctissima Brigida, cogente aliqua necessitate utilitatis, vt conuentionem plebis visitaret, in curru sedens equis binis veherebat, & cum in suo vehiculo meditatione theoricæ celestis agens inter-

in terris vitam, suam vt solebat dominatorē oraret, de alto procedens loco, alter bruto animo equus saliens in curru, & in frenatus habens fortiter se excutiens, & de iugo exterritus per campellria curru, & sic manus Domini iugum pendens sine præcipitio sustentauit. Et vidente turba, ob testimonium diuinæ virtutis secuta, in suo oratione hieulo cū vno equo sub curru posito, ad plebis conuentionē, discursu placabili illa sa peruenit. & sic signis & virtutibus sua confirmans doctrina, sermonibus salutaribus, & sale diuino conditis, plebē cōtorta est. Et hoc virrutibus eius videtur nobis esse deputandum.

Cum aper ferus singularis & syluestris territus & fugitiuus esset, ad gregem porcorum BRIGIDÆ felicissimæ concitus cursu præcipiti peruenit. Quem ipsa ventum inter suas cernens benedixit. Deinde impavidus ac familiaris cum ipsius porcorum grege mansit. Ecce fratres videtis, quod & bruta animalia & bestiarum sermonibus & voluntati eius resistere non poterant, sed domita & subiecta sibi famulabantur.

Quadam autem die, cum aliquis nulla suffultus scientia, vulpem Regis ad palatium ambulantem videret; putans illam obcecatis sensibus suis, feram esse bestiam: & quod in aula regis familiaris & mansueta esset, variis artibus edocta agilitate corporis, & subtilitate animi, Regi & suis Comitibus grande præstans signaculum, ignoranter vidente multitudine occidit eam. Et statim ab his, qui viderunt factum, alligatus & diffamatus est, ad regem perductus est. Et cum rex istam rem discens gestā, nisi sibi vulpis similis in omnibus calliditatibus, quas sua vulpis operabatur, restituta esset, illum iussit occidi; & uxorem & filios & omnia quæ habebat, in seruitutem redigi præcepit.

Cumque rem gestam sancta & venerabilis BRIGIDA didicisset, tanto miseriarum & pietatis affectu permota, currum sibi iniungi præcepit, & ex intimo corde dolens pro ipso infelici, qui iniuste iudicatus est, precibus ad Dominum suis, & per planiciem campi equitans, perrexit in viā, quæ ad Regis palatiū ducebat. Nec mora Dominus exaudivit ipsam, suas fundente assiduas preces. Vnam de suis vulpibus ferā ad eam venire iussit. Quæ cū velocissimo cursu ad eā veniret, & beatissimæ BRIGIDÆ curru appropinquaret, leuiter se eleuans in curru sedebat, & sub receptaculum BRIGIDÆ vestis se constituens, sobriè in curru cum ea sedebat.

At cum ipsa ad regem veniret, vt ille miser improvidus, qui reatu suā ignorantia tenebatur, liber & absolutus de vinculo egredere tur cepit.

cepit precari. Et cum Rex eius precibus consentire nolisset; obtinens, se non illum dimissurum, nisi talem vulpem tantæ mansuetudinis & calliditatis, qualis vulpes sua fuerat, restituta esset. ipsa suam in mediū vulpem protulit. Quæ coram Rege & omni multitudine, omnes mores, & subtilitatem docibilem variis artibus alterius agens vulpes, in eadem forma prioris palam omnibus lusit. Tunc Rex placatus est, hæc videns: & optimates eius cum ingenti plausu multitudinis admirantis mirabile factum, illum solui, & liberum abire, qui fuerat ante reus delicti, iussit.

Nec multo post, cum S. BRIGIDA solutione ipsius & libertate facta, ad suam rediret domum, ipsa vulpes dolosa se inter turbas torques, & callidè mouens, fugitiua ad loca deserta & syluestria, & ad suum antrū, multis equitibus & canibus sequentibus se, illudens ac per patentes campos fugiens, incolumis euasit. Et omnes admirantes, quod factum fuerat, priuilegio sanctitatis, & prerogatiua multarum virtutum semper pollentem maioribus gestis sanctam venerati sunt S. BRIGIDAM.

Et cum in alia die anates peccatore carnali natantes in aqua, & per aëra interdū volitantes, beata vidisset BRIGIDA, eas ad se venire iussit. Quæ pennigero volatu, & toto ardore obedientie eius vocibus, tanquā humana cura cōsuetæ, sine vlla formidine multitudo ad eam volitauit. Quas manu tangens, & amplectens, & per aliquantum temporis hoc idē faciens, redire ac volare suis in aëre alis permisit. Collaudans creatorem omnium rerum, cui omnia subiecta sunt animantia, & cui omnia viuunt, vt quidem ait, officio gerendi.

Et ex his omnibus manifestè colligi potest, quod omnis natura bestiarum & pecorum & volucrum subiecta eius fuit imperio. Et hoc eius miraculum omnibus seculis celebrandum, auribus fidelium insinuandum est.

Nam cum femina saluberrima verbi Domini ex more sue consuetudinis omnibus seminaret, vidit nouem viros in quadam forma speciali vanæ & diabolice superstitionis plausum habentes, vocis ridiculæ ac insaniam mentis maximam. in quorū viis contritio & infelicitas, & antiquo hosti, qui in illis regnabat votis scelestissimis & iuramentis, sitientes effusione sanguinis, antequā Calendæ Julij illius Mensis superuenirent, venturi, aliorū iugulatione & homicidia deposuerūt. Quibus reuerentissima & affabilis BRIGIDA melliflua verborum copia prædicauit, vt mortiferis erroribus relictis, crimina per cordis compunctionem & veram delectent penitentiam. Qui hebetudine mentis  
LIII suæ,

sua, nisi prius vana sua compleffent vota, illud resistentes, in viam perrexerunt suam; & pro hac re fusis ad Deum precibus assilentes, veritate virginis, volentis, Domini exemplo, omnes saluos fieri, & agnitionem veritatis.

Et egredientes illi nefarij imaginem in star viri, quem debuissent iugulare, contemplantes, & continuo suis iugulantes lanceis, & gladiis decollantes, quasi post triumphum de suo aduersario armis sanguinea reuersi multis apparuerunt. Mirum in modum cum neminem occiderent, illis visum est compleffe sua vota; atque cum nemo deerat de illa Prouincia, de quo illi triumpharent, largitas diuini muneris per sanctissimam BRIGIDAM facta omnibus innotuit. Et sic illi, qui antea rant homicidæ, per penitentiam ad Dominum conuersi sunt.

Et in hoc opere per sanctam BRIGIDAM cultu inenarrabili sanctæ religionis diuina manifestata est potentia. Illam enim, LVERINAM nomine, validus vir valdè, & virorum fortissimus, duodecim virorum opera per semetipsum tota fortitudine sui corporis, in vna, cum vellet, laborans die; & cibaria, quibus sufficienter XII. viri refectissent, simul comedens, (sicut enim illorum opera solus, sic & cibaria quali modo vnus contra plures comedere poterat) deprecatus est, impla Dominum oraret Omnipotentem, vt eius ingluuiem, qua lapsa sua deuorabat, temperaret; nec antequam virtutem sui corporis pro hac amisisset causa. Et sic illa BRIGIDA illum benedicens, & pro illo Dominum orans; ipse postea victu vnus viri satis contentus, ac, vt antea solebat, laborans, sicut duodecim operarij operabatur, in eadem antiqua permansit virtute.

Item arbor quædam grandis, & maxima, ad aliquem paranda vsum, cum his, qui artificia exercere solebant in ligna lignorum securibus excisa est. Ad quam conuentio virorum fortium propter eius molestem & ingentem molem, loca difficillima in quibus ramorum cum fragore suorum, vt deponerent, attraherent cum multis bubus, & artificum machinis ad locum destinatum, vt necessitas rei poscebat, congregata est. Et cum nec multitudo virorum, vires bouum, & varietas artificum artes, mouere vel trahere villo modo possent eam arborem; recedentibus cunctis ab ea, per fortissimam fidem beate BRIGIDÆ grano sinapis similem, per quam fidem, vt Magister cœlestis organo euangelicæ vocis docet, montes mouentur; sic possibilia sunt omnibus credentibus, eam grauissimam arborem Euangelicæ virtutis, per diuina mysteria, nullo mortalium auxilio leuantes, sine vlla difficultate ad locum

Matth. 17.

eam, quem voluit S. BRIGIDA, detulerunt. ac per omnes prouincias tanta diuina virtutis excellentia diuulgata est.

Et nostro occurrit animo, non excludere & hanc virtutem silentio nostro.

Quidam enim vir secularis, & gente nobilis, & dolosus moribus exarscens in cuiusdam sceminae concupiscentiam, & quo modo eius concubitu frui posset callide cogitans. ac sentem argenteam preciosam in depositum sibi commendans, quam dolose retraxit illa ignorans, & iecit in mare, & cum ipsa non posset reddere, sibi esset ancilla, & eius postea vteretur, vt vellet, amplexibus, machinatus est hoc perficere malum, nulla alia re ac redemptione placatus fieri posse dicens, nisi aut propria sibi sente argentea reddita, aut ipsa scemina in seruitutem sibi redacta pro causa culpabili fragilis concupiscentiae vteretur. Et hæc timens pudica scemina quasi ad ciuitatem refugij tutissimam, ad sanctam BRIGIDAM confugit. Quæ cum talem comperisset causam, vel quid pro hac re ageret, cogitaret: cum necdum verba compleisset, superuenit ad se quidam cum piscibus de flumine tractis. Cumquæ illorum viscera excisa & aperta essent, sentis illa argentea, quam ille crudelis iecit in mare, in medio vnus piscis reperta est. Et sic postea secura mente eandem sentem secum portans; & ad conuentum multitudinis pro hac culpa cum tyranno infami progrediens, & monstrans sibi eandem sentem multis testantibus, qui eam agnoscere poterant, non aliam esse, sed ipsam, de qua talis sermo ferebatur, adhaerentem sibi feminam pudicam de manibus tyranni crudelissimi liberavit. Ille verò postea confitens suam culpam, S. BRIGIDÆ humiliter sua subdidit colla. Tunc illa ab omnibus gloriosa peracto hoc ingenti miraculo gratias DEO, & omnia in eius gloriam faciens, domum rediit propriam.

Et his miraculis gloriosum eius cum aliqua fideli scemina hospitium iungi debet, quo prosperum iter faciens S. BRIGIDA in DEI voluntate in amplissimo campo BREG, cum declinaret ad vesperum dies, ad habitaculum eius veniens cum ea pernoctauit. Quæ obuiis manibus & gratulanter suscipiens, gratias Omnipotentis agens de felici aduentu reuerentissimæ BRIGIDÆ virginis Christi.

Cumq; non haberet propter suam inopiã vnde tales nutriet, & cibũ, vnde tales hospites cibaret, incidens ligna telaria, in quibus textura telarũ operabat, in pastu ignis, vitulũ suũ, quem occidit, super struem ligno-

lignorum ipsorum ponens, igni assuit cum bona voluntate. Et cetera facta, & nocte assuetis transecta vigiliis, expergiscite post illum mane noctem, ut nullum de receptione, & refectione S. BRIGIDÆ vitus rei sustineret damnum ipsa hospitalis, quæ vitulum amiserat vaccæ, alterum in eadem forma vitulum cum sua inuenit vaccæ, quæ ut priorem ipsa dilexerat. Et telaria ligna similiter sibi præ ceteris preparata, in tali forma, & quantitate, in qua priora fuerant, contemptum est.

Et sic S. BRIGIDA felici progressu, & mirabili facta virtute, & habitatoribus valedicens, pontifice in suam viam perrexit.

Et ecce in tanta miraculorum magnitudine hoc eiusdem copæ præclarum admirari solet. Tribus enim leprosis postulantibus munus aliquodcumque ab ea accipere, vas largita est argenteum. Et ne illis esset causa discordiæ & contentioni, si illi inter se diuiderent, cuidam in ponderibus auri & argenti comperto dixit, ut inter illos hoc ponderaret tribus æqualibus partibus. Cuique excusare se cepisset dicens, ponderare se æqualiter non posse; ipsa felicissima BRIGIDA apprehensio vase argenteo, allidit contra lapidem, & confregit in tres, ut voluit, æquales partes. Mirum in modum, cum postea istæ tres partes in pondere essent emense, nulla pars alia minor vel alia quæ aliam superaret, licet vno obulo, de his inuenta est tribus partibus, & sic isti pauperes sine vlla iniuriæ & inuidiæ causa læti recesserunt cum suis donis.

Secundum enim beatissimi IOB exemplum nunquam inopta se recedere sinu vacuo passa est. Nam vestimenta transmarina & peregrina EPISCOPI CONLEATH decorati luminis, quibus in sollempnitatibus Domini & vigiliis Apostolorum sacra in altaribus offerens mysteria utebatur, pauperibus largita est. Et cū tempus sollempnitatis aduenit, secundum consuetudinem, ut ipse summus populorum Pontifex suis indutus esset mutatoris vestibus, S. BRIGIDA, quæ priora vestimenta illius Episcopi CHRISTO in forma pauperumposito donabat, alia similia per omnia vestimenta prioribus tam texturis, quam coloribus, quæ in illa hora à Christo, quem per pauperem induebat, petita in curru duarum acceperat rotarum, tradidit pro aliis. Voluntariè enim alia pauperibus vestimenta obtulit, & hæc pro eis oportune recepit. Nam cū ipsa esset viuum & felicissimum summi capituli membrum, potenter omnia, quæ desiderabat, operabatur.

Itè & hoc S. fulsit BRIGIDA miraculo, quia cū Regis illius patriæ in

qua ipsa fuit, per plebes & prouincias, quæ sub eius erant ditione, præceptum inualesceret, vt de omnibus eius regionibus & prouinciis conuenirent populi omnes, atque ædificarent viam latam, & firmam ramis arborum, petris in fundamento positis, & munitionibus quibusdam firmissimis in gronna profunda & penè intransicibili, & in locis humentibus, atque in paludibus, in quibus grandis currebat fluitius; quæ constructa quadrigas, & equites, & currus, & plaustrorum rotas, & impetum populorum atque incursum vndiq; hostium sustentare posset.

Conuenientibus autem vndique populis per cognationes, & familias diuiserunt viam illam, quam ædificare debuerant, in partes proprias; vt vnaqueque cognatio & familia suam sibi creditam construxisset partem. Et cum illa pars fluminis difficillima, & laboriosa in sorte alieuius ex ipsis nationibus euenisset: ipsa Natio durissimum deuitans laborem, per suam fortitudinem S. BRIGIDÆ infirmiore coëgit nationem, vt hanc operaretur difficilem partem in structura viæ; vt suam quam faciliorem habebat partem eligeret, ipsa crudelis Natio ædificaret sine vlla fluminis perturbatione.

Atque cum ad S. BRIGIDAM sui secundum carnem cognati fuissent religiosè postrati, ipsa illis probabiliter dixisse fertur, Abite, voluntatis DEI est & potestatis, vt ille fluuius transeat de loco, in quo est, & vbi vos dura opprimunt opera, in illam quam ipsi elegerunt partem. Et cum de mane ipsius diei omnes surrexissent ad opera populi, fluuius ille, quem querebantur, visus est reliquisse suum locum antiquum, & conuallem, inter ambas currere solebat ripas, & transmutasse de parte, vbi S. BRIGIDÆ natio compulsa operabatur, in illorum fortium & superbiorum partem, qui alios pauciores & infirmiores se iniuste & durissimè operari compelebant; & in testimonium virtutis vestigia fluminis, & vallis vacua, vbi inundans & emanans antiquo currebat fluuius tempore, ipso ad alterum flumine recedente locum; ipse locus siccatus sine vllis apparet fluitantibus aquis.

Non solum autem in sua vita carnali, antequam sarcinam deponeret carnis, virtutes operata est plurimas, sed largitas diuini muneris in suo Monasterio vbi eius venerabile requiescit corpus, semper operari virtutes non cessat, quas nos virtutes non solum audiimus, sed etiam oculis nostris vidimus.

Marianne  
Scotus ait  
obisse sub  
Iustino Se-  
niore Imp.  
anno 520

quem potius sequor cum Baronio tom. 7. an. 521. num. 41. quam Sigebertum. NB.

LIII

Nam

Nam PRÆPOSITVS maximi & clarissimi Monasterii S. BRIGIDÆ, de quo in eius opusculi principio breuiter fecimus mentionem, operarios & lapidum cæsores quærere lapidem & incidere molarem per loca quæcunque ibi possent inuenire, transmisit. Et illi sine vlla prouidentia viarum arduam ascendentes viam, ad cacumina petrosi montis perrexerunt, & elegerunt lapidem grandem in ipso montis altissimi cacumine. Et cædentes eum de omni parte in rotundum, & perforatum malorem lapidem formauerunt. Cum vero PRÆPOSITVS de MONASTERIO inuitatus ab eis venisset cum bouibus ad illum montem, in quo lapis formatus fuit molaris, atque cum boues secum propter arduam montis ascensionem trahere & cogere non posset, durissimum iter cum paucis illum sequentibus vix adire potuit.

Ille vero cum omnibus suis operariis, dum cogitaret quomodo illum molarem deportaret lapidem de iugo altissimi montis, cum boues in illo prærupto montis sub oneribus & iugum esse nullo modo potuerint. Tunc facta desperatione, aliis ex eis descendentes, illum deferere lapidem, & eos in vanum laborasse, qui illum formauerunt. Ille PRÆPOSITVS prudenti dispensatione, & consilio suorum operariis fideliter dixit, Nequaquam hoc ita fiat; sed hunc leuiter rursus molarem, & submitte in præcipitium de altissimo isto montis cacumine, in nomine & virtute reuerentissimæ S. BRIGIDÆ. Quia nos nullis artificibus & viribus per ista loca petrosi hanc molarem lapidem possumus portare, nisi BRIGIDA, cui nihil impossibile est, secundum illud quod omnia possibilia sunt credenti illum portauerit ad locum, ex quo vires bouum trahere ipsum possint. Et sic fide firma præcipitans illum in vallem, & paulatim de monte ascendens, aliquando petras deuitans, aliquando super eas saliens, & in locis currens humidis in radice montis positis, in quibus nec homines nec boues stare poterant, pro illorum funditate mirabili comitatu vsque ad loca plana sine vlla fractione, vbi illorum erant boues, cum eis progressus est. Et exinde cum bouibus, vsque ad molendinum vectus est, artificiosè cum altero iunctus est lapide.

Et vt plus iste molaris lapis, qui in nomine beatæ directus est BRIGIDÆ, omnibus adhuc innotesceret, addit & hoc inauditum antea & præclarum miraculum. Nam cum quidam paganus æt molendino vicinus suo habitaculo dolosè per alium simplicem virum, ignorante molendinario, qui opus molituræ exercebat, suum

granum

granum ad hoc transmisit molendinum. Et cum inter hos mola- res transiecit & futum fuisset lapides; illum supradictum lapidem molarem nullus impetus fortis fluminis & nulla aquarum violentia, nulla artificum conamina mouere potuerunt. Et dum illi, qui hoc viderunt, de hac re cogitarent, nimio percussi stupore, granum illud magi esse cognoscentes, nullo modo dubitabant, quod ille molaris lapis, in quo S. BRIGIDA virtutem operata est diuinam, granum gentilis hominis in farinam comprimere respuisset. Et statim tol- lentes foras granum ipsius pagani, & suum granum monasteriale su- bter molarem illum lapidem ponentes, cursus solitus, & quotidianus sine vllis impedimentis reparatus est mola.

Et post interuallum temporis accidit, vt molendinum ipsum igne conbureretur. Nec & hoc paruum fuit miraculum, cum ignis totam domum combureret, & alterum lapidem, qui iunctus su- pra dicto lapidi fuit; hunc tantum specialem S. BRIGIDÆ lapi- dem nullo modo tangere est ausus & comburere. sine vlla molestia ignis in magno molendini incendio permansit incolumis.

Postea hoc viso miraculo ad Monasterium perlatus est, & iux- ta portam interioris castelli, quo Ecclesia ambitur, vbi multi conueniunt ob venerationem S. BRIGIDÆ in ipsa porta honori- ficè positus est, & de fidelibus hunc lapidem tangentibus morbum expellit.

Nec & de miraculo in reparatione Ecclesiæ tacendum est, in qua gloriosa amborum, hoc est EPISCOPI \* CONLEATH & <sup>\* Tam au-</sup> huius virginis S. BRIGIDÆ corpora à dextris & à sinistris altaris <sup>tea citati</sup> decorati, in monumentis posita ornatis, vario cultu auri & argen- <sup>ex Gualdo</sup> decorati, in monumentis posita ornatis, vario cultu auri & argen- <sup>hos verus:</sup> ti & gemmarum, & pretiosi lapidis, atq; coronis aureis & argenteis <sup>In Burgo</sup> desuper pendentibus requiescunt. <sup>Duno tu-</sup>

Ecclesia namque crescente numero fidelium & vtroque se- <sup>mulo tu-</sup> xu, solo spatiosa, & in altum minaci proceritate porrecta, <sup>in vno,</sup> ac decorata pictis tabulis, tria intrinsecus habens oratoria, am- <sup>Brigida,</sup> pla & diuisa parietibus tabulatis, sub vno culmine maioris do- <sup>Patritius,</sup> mus, in quo vnus paries decoratus, & imaginibus depictus, <sup>atq; Coli-</sup> ac linteaminis tectus, per latitudinem in orientali Eccle- <sup>ba pius,</sup> siæ parte, à pariete ad alterum parietem Ecclesiæ se tetendit; qui in suis extremitatibus duo habet in sua ostia; & per vnum ostium

ostium in dextera parte positum intratur ad sanctuarium ad alterum  
 summus Pontifex cum sua regulari scola & his sacris sunt deponi  
 ministeriis, sacra ad dominica & immolare sacrificia. Et per alterum  
 ostium in sinistra parte parietis supra dicti & transuersi positum,  
 Abbatissa cum suis puellis & viduis fidelibus tantum intrat,  
 vt CONVIVIO CORPORIS & SANGVINIS fruatur IESU CHRISTI. &  
 que alius paries pavementum domus in duas aequales dividens partes;  
 a parte orientali vsque ad transversum in latitudine parietem  
 extensus est. Et hæc tenet Ecclesia in se multas fenestras, & triam  
 in latere dextro ornatum portam, per quam sacerdotes & populus  
 fidelis masculini generis sexus intrat Ecclesiam; & alteram portam  
 in sinistro latere, per quam virgines & fidelium feminarum  
 congregatio intrare solet. Et sic in vna Basilica maxima, populus  
 grandis in ordine, & gradibus, & sexu, & locis diuersis interiectis  
 inter se \* partibus, diuerso ordine, & vno animo Dominum Omnipotentem  
 orat.

forte parietibus.

De hoc antiquo more quo femine à viris separate orabant in templis Clemens conf. lib. 1. cap. 61. Greg. Naz. in som. de Anastasia. Ambros. ad virg. lapsi. Baron. in apparatus Eccles. lib. 1. cap. 52.

Et cum ostium antiquum portæ sinistrae, per quod solet S. BRIGIDA Ecclesiam intrare, ab artificibus in suis esset cardine situm; totam concludere portam instauratam & nouatam nouum non potuit. Quarta enim portæ pars aperta sine conclusionem patefacta apparebat. Et si addita & iuncta ad altitudinem ostij quarta pars fuisset, tunc totam concludere portam posset altam & instauratam. Et cum artifices alterum maius nouum facere ostium deliberarent, quod totam concludere portam, aut tabulam facere iunctam in vetus ostium, vt postea sufficere posset, prædictus doctor & omniū præuius artifex HIBERNENSIVM prudenti locutus est consilio: In hac superuentura nocte orare dominum iuxta S. BRIGIDAM fideliter debemus, vt ipsa nobis de mane, quid in opere hoc acturi sumus, provideat. Et sic orans iuxta monumentum S. Brigide totam noctem transegit.

Et manè surgens oratione præmissa ostium antiquum tridens ac ponens in suo cardine, ianuam concludit totam: nec aliquid defuit de ipsius plenitudine, nec vlla in eius magnitudine superflua pars repperta est. & sic S. BRIGIDA illud ostium extendit in altitudinem, vt tota porta illa ab eo sit conclusa, nec in ea vllus locus patefactus videtur.

tur, nisi cum ostium retrudatur, vt Ecclesia intretur. Et hoc virtutis dominicæ oculis omnium videntium miraculum, illam ianuam & valvam manifestè patet.

Et quis sermone explicare potest, maximum decorem huius Ecclesie, & innumera illius Ciuitatis quæ dicemus miracula? si fas est dici Ciuitas, de qua vita in se multorum nomen accepit. maxima hæc ciuitas & METROPOLITANA est, in cuius suburbanis, quæ sancta certo limite designauit BRIGIDA, nullus carnalis aduersarius, nec concursus timetur hostium, sed Ciuitas est refugii tutissima, deforis suburbanis in tota SCOTTORVM terra, cum suis omnibus fugitiuis in qua seruantur thesauri Regum, & decorati culminis excellentissima esse videntur.

Et quis enumerare potest diuersas turbas & innumerabiles populos de omnibus prouinciis confluentes? alij ab epularum abundantiam, alij languidi propter sanitates, alij ad spectaculum turbarum; alij cum magnis donis venientes ad solemnitatem Natiuitatis S. BRIGIDÆ, quæ in die Kalendarum Februarii Mensis dormiens securè fascino deiecit carnis, & agnum DEI in cœlestibus mansionibus secuta est.

Veniam peto à fratribus & lectoribus hæc legentibus, qui causa obedientiæ coactus, nulla prærogatiua scientiæ sufflatus, pelagus immensum virtutum S. BRIGIDÆ & viris fortissimis formidandum, his paucis rustico sermone dictis virtutibus de maximis & innumerabilibus currerim.


Orate pro me COGITOSO NEPOTE culpabili, & vt oratione vestra pio Domino me commendetis exoro, & DEVS vobis pacem Euangelicam sectantes exaudiat.

Explicit Vita S. Brigide Virginis.



Mmm m

Acta



HCO  
SIV  
27